

IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO ETHICO-POLITICA

De

SIMULATIONE

quam

Divini Numinis auxilio

in

Celeberrima Academia VVittebergensi

P R Æ S E S

M. BALTHASAR BOEBELIUS

Argentoratensis, Fac. Phil. Adjunctus,

Et RESPONDENS

GEORGIUS HEINZIUS, Hambur-
gensis,



Publice ventilandam proponunt.

Ad. d. 23. Aprilis, in Auditorio Majori.

WITTEBERGÆ

TYPIS JOBI WILHELMI FINCELII,

ANNO M DC LIX.

Philos.

C.

202,4

3.

V I R I S

Nobilissimis, Strenuo, Amplissimis, Prudentis-
simis, atq; Spectatissimis

DN. CHRISTIANO LAU-
RENTIO ab Adlershelm/ SENATORII
ORDINIS LIPSIAE, PRUDENTISSIMO.

DN. MATTHIAE RIEDELIO
HÆREDITARIO in Dreschen/ SENATO-
RI URATISLAVIENSIS REIP. GRAVIS-
SIMO:

MERCATORIBUS famigeratissimis

DN. HEINRICO BE-
CKERO

&

DN. JOHANNI ER-
NESTO BOSEN

SENATORIB;
& MERCATO-
RIBUS LIPSI-
ENSIBUS SPE-
CTATISSIMIS,
CELEBERRI-
MIS.

Dnis meis Patronis, Studiorum
Promotoribus, Fautoribus, Susceptoribus, Co-
gantis, Avunculo, ac Affini; Venerandis atq;
colendis.

Salutem & Observantiam?

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden

SI quis hodiernam, quam vocant,
Politicam penitus consideraverit,
deprehendet meram eam ferè esse
histrioniam & Hypocrisin. Nam quotusquisq;
est negotiis siue publicis, siue privatis, occu-
patus qui non aliam interdum, histrionis in-
star, induat Personam, sub cuius specie animi
suis secreta abscondere & aliis imponere possit.
Cum verò occultis ejusmodi & speciosis arti-
bus facili negotio circumveniri possint incautio-
res, operæ pretium erit, Idolo isti larvam de-
trahere, & veram, quæ latebat, faciem Soli o-
stendere. Quod cum accuratius ad mentem
meam revocassem, dignum putavi, nonnihil
temporis & operæ huic studio commodare, &
hanc de Simulatione disputationem venti-
landam suscipere. Quod verò, Amplissimi Vi-
ri, Vobis, eam inscribere sustinuerim, causa
non una fuit. Vos enim ii estis, qui in publica
luce versamini, talesq; artes prudentia Vestra
eludere didicistis: Vos estis, quibus cum mihi
arctior necessitudo intercescit, partim propter
meri-

merita, quæ in me meosq; copiosissima contulistis:
partim propter cognationis jura, quibus Vobis
me siue Sanguinis propinquitas siue Affinita-
tis vicinitas annexuit: Vos estis, quorum ha-
Etenus præstita benevolentia fidem mihi facit
de futuris beneficiis in me meaq; studia conse-
rendis. Quare quaecumq; hoc gratitudinis
mei, observantia, spei, & studiorum meorum
pignus Vobis offero, persuasissimus non omni-
no à Vobis, licet ab adolescente profectum, re-
pulsum iri. Id quod Favorem Vestrum &
Æquitatem enixissimè obtestor, precatus Vo-
bis Vestrisq; faustissima quæq;.

Vestr. Nobi. Amplit.

Officiosissimus

cultor.

Georgius Herntz Hamburgensis.



DEO Veritatis Auctore.

De Simulatione.

§. 1.

Non est inter homileticas, quas vocant, virtutes præstantior quam veritas seu veracitas. Ecquid enim excellentius in virum bonum cadere potest, quam si conceptus mentis cum externis signis congruat? Velificatur quippe ea ratione non iustitiæ tantum, si vera dicendo iniustitiæ occurrit; sed etiam ipsi naturæ, quæ externam frontem, oculos & sermonem animi indices esse voluit: ipsi quoq; hominum societati, si illa communis fidei & sensus argumenta debito modo adhibeat. Neq; enim licet ipsa hominum corda inspicere, & quæ animus abdidit, in lucem pertrahere, suos igitur natura indices & interpretes substituit externa signa, quæ lingua, & vultus præcipuè edunt, ut eorum beneficio ad cognoscenda animi penetralia perducamur. Quare tam sollicitè non sacrae tantum literæ, sed & honestiores profanorum scriptorum nobis virtutem illam commendant. *Hæc sit, ait Senec., propositi nostri summa: quod sentimus loquamur; quod loquimur sentiamus, concordet sermo cum vita.* ep. 75. *Præclare Socrates hanc viam ad gloriam proximam, & quasi compendiarium dicebat esse, si quis id ageret, ut, qualis haberi vellet, talis esset.* Cicer. 2. offic. §. 43.

§. 2. Sinceræ huic virtuti opponitur *Hypocrisis*. Cujus vitii naturam facilius discere vix possumus quam ex origine vocis, Græci enim *Υποκρισις* vocant *histrionis gestus personam alienam representantis* explicante H. Stephano Thesaur. Græc. Tom. II. fol. 438. & nomen inde deductum *Υποκρισις* iisdem notat *histrionis*

A

strio

strionem: & ei additur interdum genitivus δραματων, seu δραματων, ut apud Plutarchum: ὡς περ δραμάτων ὑποκρίται. Hinc transfertur ad philosophiam practicam, quando multis simulationum involucris tegitur, & quasi velis quibusdam obtenditur uniuscujusque natura: frons, oculi, vultus persæpe mentiuntur; oratio vero sæpissime. Quæ verba sunt prudentissimi Ciceronis ep. ad Q. Fr. l. i. ep. i. Nam definiente jure Canonico 22. q. 2. Simulatio est falsa significatio vocis, cum intentione fallendi. Ubi vocabulum vocis notat qualecunque signum sive id fiat sermone, sive scriptis, sive factis, sive nutibus, sive gestibus aliis. Ad Etymologiam illam & simul hoc significatum alludunt ista Dionis, cum descripta simulata illa inter Antonium & Cæsarem Concordia, subjungit: τὸ τε τῆς ἐλευθερίας σχῆμα ἐφαντάζετο, καὶ τὰ τῆς δυνάσεως ἔργα ἐγίνετο. i. e. Libertatis species simulabatur, & dominationis opera parabantur. Et Herodian. lib. i. ἐκάσους τε ὁ βῆλεται σχῆμα ὑποκρίνεται. i. e. vertente Politiano: sicut personas induant, quas cuique libitum. Alludit & Augustus C. 99. Aug. Sueton.

§. 3. Ne autem, quæ distincta sunt, confundamus, præmittenda sunt quædam de vocabulis. Alia enim est. I. *Simulatio* seu *dissimulatio Ethica*, alia *Rhetorica*. Rhetorica alio nomine dicitur *Ἐπιρωνεία* cum per id, quod dicimus, contrarium signamus; Tropus hic Socrati imprimis erat familiaris. Hic enim cum aliud diceret atque sentiret, libenter uti solitus est ea dissimulatione, quam Græci ἐπιρωνείαν vocant Cic. qq. Acad. lib. IV. §. 15. Inde forsitan est, quod Minucius Felix eum vocet: *Scurram Atticum*. Ethica vero seu Politica Hypocrisis est vitium animi, quatenus malo fine externa signa dissentiant ab interno mentis affectu, quo sensu Cicero dicit: *Injustitiæ nulla capitalior est, quam eorum, qui tum, cum maxime fallunt, id tamen agunt, ut viri boni esse videantur* lib. i. de off. Et dolum malum vocat, ad mentem Aquilii, cum esset aliud simulatum aliud actum. lib. 3. offic. §. 60. II. Alia est *Simulatio* seu *dissimulatio Publica* alia *Privata*. Hæc est cum quis privatus in vita & actione civili frontem aperit,

mentem

*mentem regis suæ utilitatis, & alterius decipiendi causa: de qua idem Cicero præcipit. Ex omni vita Simulatio Dissimulatioq; tollenda est sc. Vitiosa. Nam omnium rerû simulatio est vitiosa: Tollit n. iudicium veri itq; adulterat, tum amicitia repugnat maxime. Cic. d. amicit. §. 92. Illa vero est prudens occultatio consiliorum honestorum, quæ princeps vel Magistratus alius ad Salutem publicam dirigere conatur. Privata illa ingenuæ fronti non convenit; posterior verbo hæc Publica ab officio boni viri aliena non est. Neq; enim cui tota vel pars saltem reip. commissa est ad effectum consiliorum suorum venire facile potest, nisi quædam simulet etiam invitus; dissimuletque cum dolore, ut prudenter loquitur CN. plancius in ep. 8. lib. 10. t. 3. opp. Cic. confer Lips. lib. IV. Pol. c. 14. §. 30. seqq: Quoties enim occurrit, ut ab hoste emittantur exploratores, honesto interdum Legatorum vel alio titulo, qui curiosius in consilia Principum inquirant, scrutentur, & si quæ exceperunt ab incauto animo, qui totus in lingua & fronte sedet, prodant in exitium reip: Quo nomine Excell. Bœclerus in dissert. ad Tac. Annal. I. II. §. 2. graviter iudicat: *Si interdum ambigua aut involuta, haud damnem, quia sic opus inter exploratores aut callidos, qui sæpe legationis aut alia specie accedunt. Nec sine ratione commendat illud Fr. de Marselaër in Legato lib. 2. diss. 39. Sunt qui malunt responsa ambigua, minus obvia emittere, quæ vulgus scrutetur magis ac divinet, quam intelligat. Et vero magna interdum sententia utilitas est, dum oraculi instar involvitur, aut interpositu rerum abruptarum, quadam, ut sic dicam, interrogationum ambages aut tenebræ inducuntur: quibus quadam occulta ac velut sacra ignorantia auctoritate suspendatur percellaturq; animus audientis, non porro instruatutur aut juvetur. Neq; tamen simulationem hanc publicam & politicam eo extendimus, quo Pleudopolitici & Machia velistæ consueverunt. Absit! Scimus Illusores illos abominationem esse domino. Proverb III. 32. Et sanio rem rationem ab artibus illis abhorre* Id quod postea fusius deducemus, si unum hoc explicuerimus, quod ne privata quidem Si-*

A 2

mulatio

Dn. D. VVe-
del. Pbil.
pma. p.
336.

simulatio & dissimulatio simpliciter sit interdicta. Quandoqui-
 dem enim sub tyrannico imprimis imperio *divites, prompti, ar-*
vibus egregius & pari publice fama qui sunt, periculis sunt obnoxii,
 prudenter fit, si dotes iste dissimulantur, & legitima ratione
 contrarium simulatur, id quod sub imperio Tiberii & Domi-
 tiani observat Cl. Bœcler. in Pol. annot. ad Tac. Ann. l. 13. §.
 1. Hinc Aristoteles inter attributa viri veracis ponit: *Verax non*
semper dicit omnem veritatem, licet dicat partem veritatis, quod
 illustrari potest exemplo Samuelis Davidem inauguraruri. In-
 terrogatus enim a Bethlehemiticis, quo fine accessisset? Sacrifi-
 candi ergo, respondit: idq; jussu divino: nimirum dissimla-
 bat, se regis ungenti causa venisse. Simile ferè exemplum Hi-
 storia Ecclesiastica proponit. Postquam enim fortissimus
 Christiathleta Athanasius Arrianorum furori se subducturus
 navicula conscensa fugisset, phaselus vero flexo cursu hostibus
 obviam ferretur, & ipsi ex Athanasio, sibi, sed incognito, obvio,
 quæreretur, nunquid Athanasium vidisset præternavigantem?
 vidisse se, respondit, modo hucibat. Sic igitur innocens ille E-
 piscopus dissimulata sua præsentia evasit. Observanda igitur
 probe est distinctio inter *mentiri & veritatem celare,* illud nullo
 modo est licitum. *Inter est equidem plurimum, qua causa, quo*
fine, qua intentione quid fiat; sed ea, qua constat esse peccata (sicut
omne & quaecumq; mendacium) nullo bono causa obtentu, nul-
lo quasi bono fine, nulla velut bona intentione faciendæ sunt. B. Au-
 gust. de Mend. c. 7. Hoc vero (si quis non tenetur ex mente
 alterius respondere, aut plura, sibi non contraria, dicere;) non
 est prohibitum.

§. 4. Quanquam igitur & divinæ & saniores hominum le-
 ges à fallacia ista hypocritica abhorreant, tamen nihil est in vi-
 ta hominū cum privata tum publica, & hac imprimis usitatio,
 quam *habere aliud clausum in pectore, aliud promptum in lingua.*
 Quæ in arte præ aliis excelluit fallacissimus Tiberius Nero, Au-
 gusti successor in Imperio Romano. Operæ igitur precium fue-
 rit descriptionem ejus accuratissimam ex Dione huc transcri-
 bere

2. Sam.
 XVI. v.
 3. 3. 5.

bere è principio lib. LVII. Erat, inquit, Tiberius ingenio prorsus
singulari. Neq; enim ex iis, quæ præferre videbatur quidquam cus-
piebat: sed verbis usus à sententia animi alienissimis, negabat, quæ
interim vellet; quæq; nollet ac aversaretur, amplectebatur. Iram si-
mulabat, ubi minime indignaretur: Comitatem ubi maxime indi-
gnaretur: Misereri scilicet eorum videbatur, quos acerbè puniebat;
Odisse eos quibus veniam dabat: vultum quoq; inimicis benevolum;
amicis minime familiarem ostentans. Deniq; non existimabat oportere principis sensa cuiquam patere, Nam inde multa male geri: cum
ex diverso plerq; maxima rectè & feliciter sub integumento dissi-
mulationis conficiantur. Atq; si hæc tantum in more Tiberii fuissent,
nemo sane satis cautè cum iso versari poterat; quippe ad contra-
ria respicientibus cum vellet aliquid videretur, nolle putantus erat;
cum nolle simularet, velle: At vero ille insuper vehementer offende-
batur, si quis mentem ejus assecutus esset, adeo quidem ut multos in-
terficeret, nullam ob causam nisi quod intellexisse mentem ejus vi-
debantur. Erat itaq; periculosum, non intellexisse hominem (quippe
multi dum verbis ejus attendunt assentiuntq; nec te mente cogitant,
offenderunt) periculosius etiam intellexisse. Nam hi suspectabantur,
tanquam specularentur mentem ejus odiosius. Solus ergo ille evade-
bat (mirum dictu!) qui nec ignoraret ejus indolem, nec argueret: ita
enim neq; ex fide principi habita periculum, neq; ex solertia depre-
hensa dissimulationis odium existeret. Multam enim prorsus difficul-
tatem habeat, sive quis aversaretur ejus dictis, sive adsentiretur.
Nam cum aliud revera vellet, aliud sermone præferret, ubiq; aliquos
à se discrepantes habuit: è quibus alios veritatis causa, alios opinio-
nis odisset. Diligentissimè hic scriptor & animorum censor u-
niversam Hypocrisis faciem quasi in tabella exhibuit depi-
ctam. Dum i. eam describit, quod verbis utatur à sententia ani-
mi alienissimis, negans quæ vellet; quæq; nollet, amplectens, 2.
in specie modum & materiam signat quomodo & quid simula-
ri soleat, nimirum quod verbis & vultu vel iram vel comitatem
& misericordiam, vel odium vel amicitiam præ se ferat, con-
trarium interea & - - - fronte polita

Asinum Vapido servet sub pectore vulpem

3. causam impulsivam seu finem, quo ad fallacias istas impellatur, nimirum ne cui principis sensa pateant, sed ex diverso pleraque rerum momenta sub umbra dissimulationis conficiantur.
4. Eventum, qui luctuosissimus ut plurimum solet esse illis, qui circa obscuros istos homines versantur.

§. 5. Indomita est nonnullorum hominum concupiscentia, adeo ut si quam rem semel sibi destinavit, prius non quiescat, quam ea potiatur. — Cum vero videt, se recta via voti sui compotem reddi non posse, obliqua incedit, aliam induens personam, sub cuius mendaciis grassetur, & incautioribus imponat. Id quod facile præstare possunt, cum *virtutibus vitia affinia sint, & perditis quoque ac turpibus recti similitudo* Sen. ep. 120. Cum igitur quædam eorum, quæ affectant homines, ita sint comparata, ut salva honestate, æquitate, & fama obtineri nequeant; interim verò ad scopum, quo collimatur, ita facere videantur, ut sine ijs, eum feriri desperetur; hinc alii quærentur colores, speciosi nimirum prætextus, ut simplices non facile penetrare possint, quid mendosi tinniat sub ærato auro, aut in suspicionem induci, rei male vel gestæ vel gerendæ. *Alia dicere solent cum in conatu & molitione rerum occupantur; alia facere, postquam res confecta est. Nam ut potiantur voto, omnia fingunt simulantque: potiti autem nihil non ex animi libidine gerunt*, prudentissime censet Cicero apud dionem. Exemplum nobis egregium præbet Tiberius, de quo notat Tac. VI. Annal. *morum inquit, temporis illi diversa: egregium vita famaque, quoad privatus vel in Imperiis sub Augusto fuit: occultum ac subdolum fingendis virtutibus donec Germanicus ac Drusus superfuere. Idem inter bona malaque mixtus, incolumi matre: Intestabilis sevitia, sed obiectis libidinibus, dum Sejanum dilexit timuitve: postremo in scelera simul ac dedecora prorupit postquam remoto pudore ac metu, suo tantum ingenuo utebatur. Scilicet ambibat Tiberius imperium cuius palmam Germanicus atque Drusus superstitibus dubiam ipsi virtutibus suis reddere poterant: Intutum igitur existimabat ob-*
serva-

Lib. 45.

servatore Augusto, Germanico & Druso æmulis, Sejano censo-
re vitiis se, quibus æstuabat intus, permittere; Tutius contra fo-
te tantisper virtuti studere, donec imperio obtento, suo inge-
nio uti posset. Interim captabat favorem militum, in quibus
potissimum robur imperii consistebat: studebatq; bellica glo-
ria suo se Augusto, civibusq; approbare: aliisq; illecebris insi-
nuare, de quibus jam dicemus.

§. 6. Prius tamen, quam ad materiam istam simulationis pro-
grediamur, videndum erit de mediis, quibus se vitium istud in-
volvit. Externa ista sunt & in sensus hominum incurrunt; in
quibus est. I. *Sermo*, quo per linguam singulari Dei beneficio
occultos nostros sensus exprimere articulatim possumus: Unde
& Seneca ait: *Oratio vultus animi est.* epist. 115. Sicut enim ex
vultu hominem; ita ex oratione animum dignoscere possumus.
Talis enim est oratio, qualis vitæ. ep. 114. ita quidem ut *ubicunq;*
videris orationem corruptam placere, ibi mores quoq; à recto descivi-
visse, non est dubium. l. c. Et vice versa, ubi honestam & mode-
stam orationem deprehendimus, ibi probabiliter colligimus a-
nimum quoq; sincerum delitescere. Semper enim pro meliori
mente judicandum est. At vero quod explicandis animi sensus
natura ordinavit, inservit illis occultandis, dum multi nihil
minus sentiunt, quam quod verba ipsorum pollicentur, sicut
supra de Tiberio: *verbis usus à sententia animi alienissimis, nega-*
bat quæ interim vellet; Quod intelligendum est non de prola-
tore verbis tantum, sed etiam scriptis per literas, decretis, &
quæ sunt similia. Cum vero non semper liceat sermone uti,
sive per naturale vitium sive ob politicas quasdam rationes a-
liasq; causas, ideoq; à natura constituta est alia *janua animi*,
nempe I I. *Frons*, ut esset homini tristitiæ, hilaritatis, clemen-
tiæ, & severitatis index. Neq; enim *solum ex oratione, sed etiam*
ex vultu & oculis & fronte suum cujusq; erga alterum affectum
perspicere possumus. Cic. ad Ant. l. XIV, ep. ad Attic. ut sunt
amor erga amicum, animus erga remp. pietas erga Deum: mo-
destia in moribus. Hoc enim si fit & *inscriptum sit in frontem*
quod

quod animus premit, sinceri pectoris nota est. Nam decet hominem liberum, & qui magnificus censeretur cupiat, si queat, in primis fronte animum gestare. Ut de suo hoc mihi commodent Veteres. At vero quam lape fit, at - - - fronte politus
astutam vapido servet sub pectore vulpem!
multi fronte mentiuntur, eam perfricantes, vel asperientes vientem verò tegentes: ita ut frontis nulla fides amplius sit, omnisq; Metoscopia fluctuet, quæ tamen alias ex affectionibus illius januæ non omnino incerta de animo & fortunis colligere didicit. Non igitur sine ratione dixit Cic. lib. 1. ep. 9 ad Lent. *fronte & vultu simulatio facillime sustinetur.* & ep. 1. ad Q. Fratr. *Frons, oculi, vultus per sepe mentiuntur.* Eodem igitur modo se res habet cum oculis. Nam licet III. *Oculi quoq; sint animi index,* vel certe esse debeant, ita ut prudentes historici solite admodum in descriptione hominum eos observarint; tamen & his non raro fides perit, ob multa mendacia, quæ committunt suis nutibus. Quam frequens ipsis est lacrymas fundere, ubi nullam animus novit vel misericordiam vel amorem, vel dolerem quibus ex cieantur? quoties demittit supercilia, ubi tamen omnis à mente exulat verecundia, pudor, pœnitentia, innocentia? Bomilcar lacrymis tentavit Jugurthæ deditioem persuadere; sed eam non ex amore, verum subornatus à Metello Jugurthæ hoste. Catilina in Senatu, ut erat paratus ad dissimulanda omnia, demisso vultu, voce supplici postulare à Patribus cœpit, ne quid de se temere crederent! Vide Sallustium, & de Vibuleni ficto fletu Tacitum Annal. l. c. 23. deq; reliquis militibus c. 24. IV. Gestus tandem alii qui vel in vultu, vel manibus, vel aliis membris, toto deniq; corpore deprehenduntur. Nam & his mentiri solent homines frequentissime, ut videre est in illo Vibuleno, de quo Tacitus l. c. *Incendebat hæc fletu, & pectus atq; os manibus verberans: mox disjectis quorum per humeros sustinebatur, præcepit & singulorum pedibus advolucit, tantum consternationis invidiæq; concivit &c.* Sed de his omnibus prolixiores nos esse prohibent Rhetores, quippe qui ex professo de his simulandi, affectus concitandi, oratio-

rationes exornandi & persuadendi mediis agunt. Vide Gerardum Joannem Vossium in instit. Orator. lib. II. per tot. & lib. VI. c. 10. II.

§. 7. Progredimur ad id quod sub hypocrisin cadere consuevit, ad *Materiam* nempe simulandi & dissimulandi. Versipelles enim isti & mendaces homines, qui occultis ejusmodi artibus student, accurate solent attendere quibus cum conversentur, qui mores, quæ indoles, quæ potissimum conditio illorum; tum etiam quo loco sint constituti ipsi, qua temporis ratione utantur, quid tandem inde eventurum sit? Horum comparatione sua ipsi consilia suscipiunt, fingunt, refingunt; sermonem, literas, frontem, oculos, vultum & totos se componunt, ne quid, ut putant ipsi, temere, incaute, & præcipitanter de sensis prodant, quod animos aliorum offendere, & institutum suum propositum subvertere possit. Quoniam vero plurima sunt, quibus homines capi & delectari; multa etiam quibus offendi & dolore affici possunt: juxta illud Persii Sat. V.

Mille hominum species & rerum discolor usus.

Velle suum cuiq; est nec voto vivitur uno.

Mercibus hic Italiam mutat sub sole recenti

Rugosum piper, & pallentis grana Cymini:

Hic satur irriguo mavult turgescere somno:

Hic campo indulget: hunc alea decoquit: ille

In venerem est putris: &c.

At Te nocturnis juvat impallescere Chartis.

Difficile igitur, imò ultra vires est singula enumerare: Quare potiora videamus momenta eorum sive bonorum sive malorum, quibus homines vel indulgere & favere, vel adversari & abhorreere constat.

§. 8. In ijs, quibus animi hominum capi & conciliari possunt, est 1. *Benevolentia*, cum quis præ se fert promptam alterius amandi, servandi, juvandi, promovendiq; voluntatem: blande ipsum alloquendo, humaniter vel vultu, vel literis tractando, & vel honoribus, vel divitiis exornando. Homines enim sumus, quid mirum igitur si humanitate capiamur? aut capti, mutuam

B

redda-

reddamus? *Pertinet ad faciem rabidos compescere mores, candida pax homines, trux decet irasferas.* Id quod maxime locum habet inter imperantes & parentes, ubi hæc virtus vinculi instar est, quo animi mutuo nexu arctissimè constringuntur. Inde conflatur & nutritur affectus benevolus Filiorum erga parentes, fervor erga dominos. *Nam illi quibus non tantum coram Dominis sed cum ipsis erat sermo, quorum os non consuebat, parati erant pro domino porrigere cervicem, periculum imminens in caput suum advertere.* Sen. ep. 47. Inde amor subditorum in Principem redundat, redundat securitas,

Non enim sic excubia, nec circumstantia tela, quam tutatur amor. Claud. ad Honor. Cons. IV. v. 281. redundat in universum regnum firmitas, tam validis fulcris subnixæ. Hinc præci Romani in pace beneficijs magis, quam metu imperium agitabant. Sal. hist. in catil. c. 12. *acceptaq; injuria ignoscere quam persequi malebant.* Jugurtha Capsenses lenissime habuit, & ob id fidelissimi habebantur. Confer Lips. lib. 2 Pol. c. 12. Hoc igitur cum sciant callidi isti personati, amplissimam erga alios benevolentiam præ se ferre solent. Ea; iram, odium & invidiam contra illos abscondere: *laudando infamare, excusando arguere, extollendo deprimere.* Vid. Exe. Bœcler. diss. in Tacit. Ann. I 10 §. 16. Donec blanditijs istis inescatos subvertere commodè possint, vel saltem animum suum vitiiis plenum ita extrinsecus fucare, ne quid famæ, vel opinioni clementiæ, vel occasione gerendæ rei decedat. Solent enim ficta ista benevolentia & alios sibi devincire, ut in tollendis reliquis eos sibi obnoxios reddant, & ipsos, perfectis sceleribus, tollendos. *Hæc n. est tyrannorum vita nimirum, in qua nulla fides, nulla caritas, nulla stabilis benevolentia potest esse fiducia, omnia semper suspecta atque sollicita; nullus locus est amicitie.* Cic. d. amicit. §. 52. His artibus imprimis studuit callidissimus Tiberius cum publice tum privatim. Etsi enim amplissimam jactabat benevolentiam erga quoscunq; , sicut insignis ille Tiberii adulator Vellejus lib. 2. c. 114. Exclamat: *O rem dictu non eminentem, sed solida veraq; virtute atq; utilitate maximam, experientia suavissimam, humanitate*
singula

singularem, ! per omne belli Germanici Pannoniciq; tempus, nemo è nobis, gradumve nostrum aut præcedentibus aut sequentibus imbecillus fuit, cujus salus ac valetudo non ita sustentaretur Cæsaris cura, tamquam distractissimus ille tantorum onerum mole huic uni negotio vacaret animus. Erat desiderantibus paratum junctum vehiculum; lectica ejus publicata, cujus beneficium cum alitum ego sensi. Jam medici, jam apparatus cibi, jam in hoc solum importatū instrumentum balinei, nullius non succurrit valetudini. Quis hæc legens, nec ad finem respiciens, non in stuporem cum Velleio, & amorem Tiberii abripiatur? At vero si mentem Tiberianam perpendamus, deprehendemus causam veram, quæ ipsum impulit ad singularem illam in exercitu colendo benevolentiam. Devoraverat jam spe principatum, ad hunc vero obrinendum, corroborandum, & ab æmulis vindicandum fortius instrumentum non erat, quam exercitus; hunc igitur præstitis officiis sibi conciliare satagebat; id quod postea, adeptus imperium palam fecit: difficile enim est in potestatibus temperare, qui per ambitionem se probos simulavere. Consilium prodidit Tacitus Annal. l. c. 7. defuncto Augusto, signum prætorii cohortibus, ut imperator dederat. Excubie, arma, cetera aula, miles in forum, miles in curiam comitabatur, literas ad exercitus tanquam adepti principatu misit &c. Huc scilicet tendebat illa Tiberii solitudo, quam prædicat l. c. Vellejus: Didicerat forsitan artem hanc à Parente suo Augusto (Nam prima ab infantia educatus in domo regnatrice. Tacit. l. Annal. c. 4.) qui liberalitatem omnibus ordinibus per occasionem frequenter exhibuit. Svet. in August. c. 41. Non tam ex benevolentia, quam quia inter arcana dominationis habetur per largitiones vulgum dementare. Vide Excell. DN Bœcler. in dissert. ad Tacit. Annal. l. 2. p. m. 30. Singulos quoque homines Tiberius benevolentia complectebatur, quibus tamen nihil minus quam benevole volebat. Cujus rei aliquot illustria exempla nobis propinat Tacitus, inter quæ est Libonis Annal. II. c. 28. Hic cum delatus esset, quasi res novas moliretur, offensam Tiberii incurrit: Hic vero palam erga ipsum iram ostendere tutum non putabat, quare benevolentiam simulat, Libonem ornat prætura,

convictibus adhibet, non vultu alienatus, non verbis commotior (a deo iram condiderat) cunctaq; ejus dicta factaq; cum prohibere posset, scire malebat. Postquam vero per Flaccum Velularium delatus, & a Trione accusatus, ad iudicium citaretur, immoto ejus (Tiberii) vultu excipitur mox libellos & auctores recitat Caesar, ita moderans, ne lenire, neve asperare crimina videretur. Tac. II. Ann. c. 29. Libo igitur, ubi se oppressum, domum etiã militibus cinctam intellexit, ipse sibi manus violentas intulit: Eius tamen criminis invidiam Tiberius declinare conatus, juravit in senatu se vitam quamvis nocenti petiturum fuisse, nisi voluntariã mortem properavisset. c. 31. Succedat huic exemplum Ælii Sejani, qui gratiosissimus erat omnium in aula Tiberiana propter similes mores & fictam fidem. In hunc Tiberius amplissimos honores contulerat, ita ut non multo inferior ipso imperatore videretur; sed Tiberius erga Sejanum tam facilem se ostendit, non tã benevolentia, quam ut esset cujus ministerio ac fraudibus liberos Germanici circumveniret: nepotemq; suum ex Druso filium naturalem ad successionem imperii conirmaret. Tac. Ann. III. c. 55. Id quod postea eventus docuit. Sejanum enim res novas molientem, quamvis jam & natalem ejus publice celebrari & imagines aureas coli passim videret: vix tandem & astu magis ac dolo quam principali auctoritate subvertit. Svetin Tiber. c. 65. seqq. Tac. Annal. V. c. 4. 9. Sic igitur verum manet, quod de Tiberio notat Tac. Annal. IV. c. 71. quod scelerum ministros, ut perverti ab aliis nolebat, ita plerumq; satiatus, & oblati in eandem operam recentibus, veteres & pręgraves adfluxerit. Videtur etiam illa in parte Tiberius Augustum imitatus: Si quidem verum est, quod de Octavio scribit Brutus ad Cic. ep. 2. 17. p. 618. H. t. 3. Licet Patrem appellet Octavius Ciceronem, referat omnia, laudet, gratias agat, tamen illud apparebit verba rebus esse contraria. Nec omnino vanum fuit augurium. Nam postea Cicero si non jussu, certe permissu Augusti est interfectus. Alias idem Augustus, qua erat calliditate, opibus & honoribus extollebat, quanto quis nobilium servitio promptior. Tac. Annal. I. c. 2. quo fine? num benevolentia impellente? Non sed ut novis ex rebus aucti, tuta & presentia, quam

quam vetera & periculosa mallent. Ita enim solent illi qui ad dominatum aspirant, alios tollere, proscribere; alios, præsertim quos potentiores viderint, muneribus & officiis sibi obnoxios reddere. Alius ejusdem Augusti finis fuit, cum præcipuos civitatis, plerosque sibi invisos in tertius hæredibus scribi curasset, nimirum *jaclantia, gloriæ, ad posteros*; cujus viri Principes Studiosissimi esse contulerunt, cum propter gloriâ vivorum, tum mortuorum, ut firmum maneat per eorum venerationem imperium. Mitiora hæc Simulandi artificia erant Tiberianis, qui illicitis istis artibus suos quoque propinquos adflixit. Cum suspicaretur Germanicum imperio imminere, tentavit ficta benevolentia ipsum deludere, exarat literas tota pagina humanitatem, & benevolentiam spirantes, ut refert Dio. l. 57. Cum suspicaretur nimiam fore ipsius apud sævum exercitum gratiâ, & potentiam; operam dedit ut *suetis eum legionibus abstraheret; novisque provinciis impositum, dolo simul & casibus oblectaret*, Tac. Ann. II. c. 5. Sed postea ministrante Pilone per venenum ipsum tollendum curavit. Tac. Annal. II. c. 69. III. c. 12. 16. Tres ex eo nepotes superstites Neronem, & Drusum & Cajum, benevole videbatur habere, dum duos *natu maximos P. C. commendavit, diemque utriusque tirocinii, cõgiario plebi dato celebravit*. Sed ut comperit, *ineunte anno pro eorum quoque salute publice vota suscepta: egit cum Senatu non debere talia præmia tribui, nisi expertis & ætate profectis: atque ex eo patefacta interiore animi sui nota, omnium criminationibus obnoxios reddidit: variisque fraude inductos, ut & concitarentur ad cõvitia, & concitati perderentur, accusavit per literas, amarissime congestis etiã probris, & judicatos hostes fame necavit*, quæ sunt verba Sueton. in Tiber. c. 54. Quin imò suum ipsius Filium Drusum in castra ablegavit, *ratus se tutiorem, utroque filio legiones obtinente*. Annal. II. c. 44. Deterior Filius Matre Livia, *qua florentes privignos cum per occultum subvertisset, misericordiã erga adlictos palam ostentabat*. Ipse vero sublati iisdem, ne quidem misericordiam erga nepotes ex illis ferre potuit. Tac. Annal. IV. c. 71.

§. 9. Insigne benevolentia documentum est II. *Libertas*. 6

quis eam alteri vel reddit, vel tuetur, vel vindicat. Non autem
h. l. intelligimus *stoicam* illam, quam Seneca dicit esse: *nulli rei
servire, nulli necessitati, nullis casibus: fortunam in equum deduce-
re.* ep. 51. & alibi: *Non homines timere, non deos, nec turpia velle,
nec nimia.* ep. 75. vana enim hæc potius videtur esse arrogantia,
desinens tandem in detestandam *αὐτοχρησίαν*, ut videre est ep.
77. Neq; etiam *Ethicam* illam *ἀνθεξασίαν*, quæ animi est: Nam
ut hanc nemo, præter Deum, homini potest conferre, ita nec
auferre. Sed *Politicam*, quæ vel privata, *ubi sentire quæ velis; &
quæ sentias, dicere licet.* Tac. Hist. lib. 1. c. 1. vel publica, cum iura
cuiq; jura, privilegia, officia, dignitates, & similia relinquuntur
salva. *Tunc dicitur Senatus Romanus liberam civitatem fore dix-
erat, ita equatas leges, si quæ quisq; jura, ordo suam majestatem te-
neat.* Apud Veteres Romanos Libertatis argumentum erat
Tribunorum Auctoritas, Consulium, & Senatus, ne quid ipsis
vel populo invito publice decerneretur vel ageretur; opposita
Monarchicæ potestati, quæ non tam ex legibus & æqualitate,
quam suo arbitrio putabatur imperare; adeoq; obstare liberta-
ti. *Reges enim serva omnia & subiecta imperio suo esse malunt;* au-
tumant Rhodienses Democratici apud Liv. lib. 37. contra Ro-
mani inter se jura habebant muniaq; communia, ut sunt pote-
stas indicendi belli, exercendi Quæsturam, Tribunatum mili-
tarem, Decemviratum Sacrorum, Ædilitatem, Dictaturam,
Triumphos, Censuram, Duumviratū Navalem; dedicandi tem-
pla, & quæ sunt similia officia publica cum sacra tum profana.
De quibus Romanæ historiæ princeps Livius legendus lib. II.
VI. VII. IX. seq. Hic libertatis momenta cum palam & omniã
simul populo eripere non possunt dominaturientes, simulandi
& dissimulandi artes adhibent, in quibus denuo Augustum &
Tiberium excellentes habemus histriones. Ille n. ex consilio
Mæcenatis nolebat è vestigio Romanos libertati assuetos simul
& obtorto quasi collo sub Monarchicum jugum mittere, sed fe-
stina vit lente: *alia quidem statim ordinavit, alia postea constituit,
quædam & longius distulit, ac in futurorum principum curas reje-
cit, ex mora opportunitatem perficiendi ac tempestivitatem, si ita lo-
quen-*

quendum est, captans. Explicante Dione, Citato apud Cl. Boecl.
d. II. ad Ann. l. 2. §. 8. Tiberius vero initio omnino imperium a-
spernari videbatur, vel certe videri volebat. Causas prodidit
Tac. Annal. l. c. 7. cum in hunc modum inquit: *Causa precipua*
ex formidine; ne Germanicus, in cuius manu tot legiones, immensa
sacrorum auxilia, mirus apud populum favor, habere imperium, quã
expectare mallet. Dabat & fama, ut vocatus electusq; potius à
rep. videretur, quam per uxorium ambitum. & senili adoptione ir-
repfisse. Postea cognitum est, ad introspectiendas etiam procerum
voluntates, inductam dubitationem. Nam verba, vultus, in crimen
detorquens recondebat. Tiberius verò veras hæc causas abscon-
debat, & longe alias præ se ferebat, nimirum inferiorem se esse,
quam ut tantam imperii molem solus ferre posset; & tot illu-
stribus viris præriperet, cum ipsi, si in partem curarum venerint,
suo quoque consilio & fortitudine remp. juvare possint. At cum
Patres intelligerent: plus in tali oratione dignitatis, quam fidei es-
se: Tiberioq; etiam in rebus, quas non occuleret seu natura seu ad-
juetudine, suspensa semper & obscura verba. Tac. Ann. l. c. 11. ideo-
que precibus humilibus instabat, ut tandem onus imperii subir-
ret: quibus, & clamore omnium, ex postulatione singulorum fessus
(ut simulabat) flexit paulatim, non ut fateretur suscipi à se imperium,
sed ut negare & rogari desineret. c. 13. Postquam vero imperium
suscepisset, non desit libertatis patrociniū ostentare, dum
cuncta cupiebat per Consules, & maxima quæque negotiorum a-
pud Patres tractanda curaret: ita ut sua Consulibus, sua Præto-
ribus species, & Magistratui exercita potestas, & legibus suis
vigor relinqueretur; teste Tacit Ann. l. v. 6. Quinimò eò civilita-
tis externæ progressus est, ut aliquando dissentiens à Q. Harte-
rio, ignoscas, dixerit, rogo, si quid adversus te liberius, sicut Sena-
tor, dixerō. Et inde omnes alloquens. Dixi & nunc & sæpe a-
lias P. C. bonum & salutarem principem senatui servire debere, &
universis civibus sæpe, & plerumq; etiam singulis: neq; id dixisse me
pœnitet, & bonos & equos & faventes vos habui dominos & adhuc
babeo. Svet. Tiber. c. 29. Drusus cum aliquando Consul esset
declaratus, ab eodem Tiberio prohibitus est dicendæ primo lo-
co

co sententiæ, ne scil. ; quod quidam interpretabantur, cæteris assentiendi necessitas imponeretur. Tac. III. Ann. c. 22. Illud autem imprimis mirandum, quod cum comperisset publice se carminibus famosis esse infamatum, jactabat: *in civitate libera linguam mentemq; liberam esse debere.* Præprimis cum deceat principem *in se admitta tolerare. Neq; enim vel contemptu, vel oppresione Principes peti posse, qui tot Præsidis muniti vivant.* Quod Liviam censet apud Dion. l. 53. Et quæ alia libertatis æstimum aliquot præ se ferebant, notata ab Suet. in Tib. c. 28. Verum enim vero, quam hæc abhorruerint à mente Tiberii ex multis elucet insignibus signis, quorum illustre suppeditat narratio Tacit. Annal. III. c. 64. Indicans, quod cum Julia Augusta Tiberij nomē suo postscripsisset, idq; ille crederet, ut inferius majestate Principis, gravi & dissimulata offensione abdidisse. Nec tam tardi fuerunt Romani, ut hæc non intelligerent. Quis enim non suspectum habeat eū qui ad totiens irrita & vana revolvitur, de reddenda rep. de suscipiendo à Consulibus regimine, & similibus? subolfecerat quidam Asinius Gallus mentem, vel certe pertinacia Tiberii commotus, cum rogaretur, quam sibi reip. partem mandari vellet, respondit: *nequaquam decorum pudori suo, legere aliquid aut evitare ex eo, cui in universum excusari mallet.* Tac. Ann. I. c. 12. qua *περρησια* ira & pudore Tiberiū confudit, ut postea Gallo isti infestissimus fuerit. Similiter in cæteris suis artibus unicè respiciebat dominatum, cujus vim firmabat sibi, imaginem vero & nudam umbram relinqvebat patribus: Pridē n. didicerat, *ne vim principatus resolveret, cuncta ad senatum vocando,* quod Sallustius Liviam monuit, teste Tac. Annal. I. c. 6. Cum Monarchia non constet, nisi penes unum, ratione majestatis; interim vero sine ejus præjudicio honores aliis servari possunt, potentia vero & vires non possunt, sed diminuendæ sunt. Esto, Tiberium respuisse Cæsaris, Domini & Imperatoris dignitatem, contentum contra fuisse Consulatu, Tribunatu, & similibus libertatis vocabulis; Non tamen inde pro Civilitate ipsius concludendum: nam inter alia libertatis simulacra non infimum est, si vetera Magistratum militumq; vocabula retineantur.

neantur. Libertas & speciosa Nomina pratexuntur, nec quisquam
alienum servitium & dominationem sibi concupivit, ut non eadem
ista vocabula usurparet. Tac. Histor. IV. c. 73 vere dicit Cato apud
Sallustium: Nos vera rerum vocabula amisimus: quia bona aliena
largiri, liberalitas; malarum rerum audacia, fortitudo vocatur.
Quod ipsum de regnandi Cupidine usurpes, quia & Roma olim,
quicumq; remp. agitavere, honestis nominibus, alii sicut jura populi
defenderent, pars quo senatus auctoritas maxima foret, bonum pu-
blicum simulantes, pro sua quisq; potentia certabant. Sallust. in Ca-
til. Augustus præluerat Tiberio. Nam & ipse contentus vide-
batur Consulatu; sed quia prorogatum, & suo arbitrio moram
temporis, quo gereret, relictum voluit, quid aliud egit, quam ut
potestatem mora ista corrumpere? affectabat Tribunatum,
maximum quondam libertatis momentum: sed ideo ut ejus
sanctitate inviolabilis redderetur: asciscebat consortes ejus
potestatis nepotes & cognatos suos, ne cum ipso imperium ex-
piraret, quandoquidem principatus successoribus potissimum
ac viribus sustineretur; præsertim si perpetua sit ea potestas. Itaq;
nec Tiberii causam juvat, quod ne edictum quidem, quo Patres
in curiam vocabat, nisi Tribunitia potestatis præscriptione posuerit
sub Augusto acceptæ. Tac. Annal. I. c. 7. Idem Augustus imperium
verbis maxime à se amovebat; interim subornabat in Senatu,
qui ipsi, quasi invito, obtruderent; Senatui P. Q. R.
Provincias relinqvebat pacatiores; sed infirmiores; sibi
adminstrandas sumebat inquietiores; sed fortiores, ut ita sem-
per militem in armis haberet. A Tiberio è campo comitia ad pa-
tres translata sunt, sed definiebat numerum candidatorum Cæ-
sar, & arbitrium arrogabat sibi, prorsus ut de Augusti consilio
Dio lib. LIII. Habebantur, inquit, adhuc comitia populi; Licet ni-
hil ageretur in iis, quod Augusto displicuisset. Magistratus a. partim
ipse designabat partim populo plebiq; designandos permittebat, sicut
libera rep. erat usitatum. Id modo curans, ne indigni per factiones &
ambitum designarentur. Perinde comparatum erat cum accusa-
tionibus Tiberianis, quas apud Senatum intendebat iis, quos
sublatos cupiebat. Sciebat obnoxium se habere Patrum illum
Confessum, partim per metum, partim per largitiones: Male-
bat

C

bat

bat igitur in rebus odiosis peregrina, quam sua opera, uti, ut ad illos invidia; ad se utilitas devolveretur.

§. 10. Libertati cognata est. III. *Modestia*: virtus, quæ moderatur honoris appetitum circa honores mediocres, moderare eos appetendo, & nimios vel debitos etiam non affectando; vel ut Lips. Pol. I. l. c. 15. definit: *Est Ratione temperatus, nec actione exultans de se suisq; sensus.* Qui oritur ex consideratione vel suæ ipsius infirmitatis, vel difficultatis rerum ipsarum, vel inconstantia omnium sublunarium, vel ratione status, conditionis, ætatis, fortunæ & similitum, quibus aliquis inducitur, ne cristas æquo altius attollat; honores nimium affectando, sui suorumq; contemptū rigidius ulciscendo, splendidius vestimentis gloriando, jactantia sibi plurimum arrogando. Hæc virtus in libera potissimum civitate locum habet, utpote quæ ἰσονομίαν ἰσοτιμίαν & ἰσχυρίαν proprio quasi jure sibi vendicat, nec facile ferre potest, qui magnificentius sua jactare, & præ aliis eminare gestiunt: cujus rei exempla plurima nobis subministrat historia cum Græca tum Romana. Hoc animo cum Tiberius cives Romanos esse sciret, ambitionem suam & arrogantiam callide premebat, modestissimo indutus habitu; Sed qui ut plurimum in malum degenerabat:

*Fallit enim vitium specie virtutis & umbra,
Cum sit triste habitu vultuq; & veste severum.*

Juv. Sat. XIV.

*Nec modestiæ semper laudem merentur, quicumq;
obstipo capite & figentes lumine terram
murmura cum secum & rubosa silentia rodunt,
atq; exporrecto trutinantur verba labello.*

Perf. Sat III. Species tantum modestiæ erat, cum Tiberius molem imperii & suam ineptitudinem caussaretur, quo minus imperio admoveretur; species erat, cum abhorreret à titulo Patriæ Patris, & in acta sua jurari nollet, dicens: *Cuncta mortalium incerta, quantoq; plus adeptus foret, tanto se magis in lubrico dictas:* Tac. Annal. l. c. 72. IV. c. 37. 38. gemina sunt quæ Saturnino tribuit Vopiscus: *Nescitis amici quid mali sit imperare. Gladii & te-*

la

la nostris cervicibus impendent, imminent hasta undiq̄, undiq̄, spicula, ipsi custodes timensur, ipsi comites formidantur, non cibus pro voluptate, non iter pro auctoritate, non bella pro judicio, non arma pro studio; adde quod omnis aetas in imperio reprehenditur; Species erat, cum nollet eorum causa, quæ in ipsum jacta erant, diem alicui dici. Tac. Annal. II. c. 50. Species erat, cum obstaret, quo minus convitia in suam ipsius matrem jacta crimini essent ulli, I. c. Species erat, cum censeret ejusdem honores esse moderandos, eademq̄ se temperantia usurum in his quæ sibi tribucrentur. Annal. I. c. 14. Species erat, cum honores large eidem à Senatu decretos quasi per modestiam imminuit, paucis admodum receptis. V. Annal. c. 2. Species erat, cum funus Augusti ad rogam usq̄ comitaretur. Suet. in Tiber. c. 32. Species erat, cum Germanici funus nollet splendidius efferri. Tac. Annal. III. c. 6. Species erat, cum ejusdē Filios S. P. Q. R. majoribus honoribus auxisset; ipse vero prohiberet, ne quis mobiles adolescentium animos, prematuris honoribus ad superbiam extolleret. Ann. IV. c. 17. Species erat, quod occiso ad voluntatem Tiberii Prisco, id Tiberius solitis sibi ambagibus apud senatum incusavit, cum extolleret pietatem, quamvis modicas principis injurias acriter ulciscerentur, deprecaretur tam precipites verborum pœnas; laudaret Lepidum (qui Prisco erat patrocinator) neq̄ Agrippam (qui damnaverat) argueret. Tac. Annal. III. c. 51. Species tandem erat, cum secederet Tiberius, caussatus honorum satietatem ac requiem laborum. Suet. Tib. c. 10. Nam cum Asinius Gallus, sensum ipsius assecutus, liberius loqueretur, exacerbatus est histrio Tiberius. Annal. I. c. 12. & prudentiores sensere, quod in Tiberiana oratione plus dignitatis, quam fidei esset. Neq̄ fidem faciebat civilis animi, utpote exorsus civilia ipse filiorum ingenia. Nec parum momenti afferebat famæ studium, cum malebat videri à populo electus, quam ambitu uxorio & senili adoptione: tum etiam metus, quæ undiq̄ imminencia ipsi discrimina inferebant. Suet. Tiber. c. 24. 25. Majestatis lex, quam reduxerat Tiberius, modestiam ipsius totam destruit; & sensere filii Germanici, quantum convitia Principi dicta misericordiæ vel modestiæ invenirent. Nec mater ha-

bebat, quod sibi de Filii modestia gratularetur. Nā honores ipsi prohibuit *anxius invidia & muliebri fastigium in diminutionem sui accipens*. Tac. II. Annal. l. c. 14. eadem fere causa fuit, quod noluerit vel Germanicum, vel filios ejusdem honorificentius haberi, nimirum quia immani semper odio erga domum Germanici flagrabat, & æquari sibi adolescentes dolebat. Tac. Ann. IV. c. 17. Quod v. Capreas secesserit, causa erat invidia erga adultos Augusti liberos. Vid. Suet. Tiber. c. 10. Atq; hanc Tiberij arrogantiam indicat incessus. *Incedebat enim cervice rigida & obstipa; adducto fere vultu, plerumq; tacitus: nullo aut rarissimo etiam cum proximo sermone, eoque tardissimo: nec sine molli quadam digitorum gesticulatione. Quæ omnia ingrata, atq; arrogantia plena &c.* Idem c. 68. Prudentiores quidem ad modestiæ signa referunt sermonem verbis parcum. Vid. Lips. l. 2. Pol. c. 15. §. 16. at arrogantia est, si ex contemptu eorum, quibus cum versamur, profluit, quasi indigni illi essent, quibus cum colloquamur. Unde non omnino contemnendum, quod Seneca prædicat ep. 79. *Nihil simulatio proficit, paucis imponit, leviter extrinsecus inducta facies. Veritas in omnem partem sui semper eadem est. Quæ decipiunt, nihil habent solidi.*

§. II. Cum vero modestia eatenus sit observanda, ne quid decedat majestati & auctoritati cujusvis; quæ quidem in Principe præsertim magni momenti sunt, ideoq; observanda venit etiā IV. *Majestas*, quæ h. l. est definiente Lipsio, *Reverenda quædam amplitudo, ob meritum virtutis, aut rerum affinium*. Hb. 2. Pol. c. 16. §. 1. observanda non in vivo tantum Principe, sed etiam defunctis, imo in ipsis quoq; legibus asserendis. Quam qui violaverit, reus læsæ Majestatis audit & capitale supplicium non raro incurrit. Ipse vero Princeps hanc suam auctoritatem tuetur vel gravitate morum, vel corporis & verborum decentia, vel temperato secessu, vel observantia legum & decessorum. At verò, non infrequens est, ut Majestatis nomine sævitia exerccatur & dominatus confirmetur. Paucitas vero sermonis, gestus corporis, morumq; severitas arrogantiam potius redoleant: ipse deniq; secessus vel absentia serviat regendis aliis flagitiis, ne

ne scil. in oculos hominum incurrant. Cujus rei exemplum illustre habemus in Tiberio, quem jam corpus, jam vires (morbundum) nondum dissimulatio deserebat, idem animi rigor sermone ac vultu intentus, quasita interdum comitate, quamvis manifestam defectionem tegebat. Tac. Annal. VI. c. 50. sed priora vitæ momenta videamus. Principem tam callidum cum non lateret σερμιόν illud principatus μυσήριον, juramentum quo se Romani ad acta & verba Cæsarum adstringere solebant; curavit ut in sua verba Patres jurarent. Annal. I. c. 7. Severissimè etiam, ubi consultum & sibi utile existimabat, vindicavit, si quis vel in sui vel in antecessoris sui, Augusti præsertim, contumeliam quidquam designasset. Exemplum suppeditat Tac. Ann. I. c. 74. Cum r. Marcellus accusaretur *sinistros de Tiberio sermones habuisse: & statuam Marcelli altius quam Cæsarum sitam: Et alia in statua, amputato capite Augusti, effigiem Tiberii inditam: Tiberius adeo exarsit, ut rupta taciturnitate proclamaret: se quoq; in ea causa laturum sententiam palam & juratum, quo ceteris eadem necessitas fieret.* Quin imo refert Suet. in Tib. c. 58. *paullatim hoc genus calumnie eo procescit, ut hæc quoq; capitalia essent: circa Augusti simulacrum servum cecidisse; vestimenta mutasse; numo vel annulo effigiem impressam latrine aut tupanari intulisse; dictum ullum factumve ejus existimatione aliqua lesisse; periit deniq; & is, qui honores in colonia sua eodem die decerni sibi passus est, quo decreti & Augusto olim erant.* Nimirum urbat Tiberium, superesse adhuc inter Romanos illustriores viros, quibus dominatus ille minus placeret, sed verbis factisq; aliquid contra ausuri viderentur; quos tamen palam & immeritos tollere non posset; quare dominatum suum confirmaret, metum vero istorum removeret, reduxit legem majestatis, cujus obtentu suæ posset indulgere sævitæ.

Eidem palliandæ varias artes alias adhibuit. Jure Romano prohibitum erat, ne qua de domini capite quæstio à servo haberetur Cic. orat. pro Milon. §. 59. Cum igitur Libonis in caput servi non possent quæri; *callidus & novi juris repertor Tiberius mancipari singulos Aëtori publico jubet: scilicet ut in Libonem*

ex servis Salvo Senatus Consulto quaereretur. Tac. Annal. II. c. 30. Ita cum lege vetitum esset, ne qua virgo interficeretur: ipse vero Sejani natam sublatam cuperet; dedit eam carnifici prius comprimendam, ut jure videretur occisa. Tac. Annal. V. c. 9. Suet. in Tib. c. 61. Cum quidam damnandus brevem moram precaretur, dum accusator consulatu abiret, adversatus est Caesar; Solitum quippe Magistratibus diem privatis dicere, nec infringendum Consulis jus, cujus vigiliis niteretur, ne quod resp. damnum caperet. Proprium id Tiberio fuit scelera nuper reperta priscis verbis obtegere. Tac. Annal. IV. 19. Fuit & hoc, quod quereretur apud Senatum trepidam sibi vitam, suspectas inimicorum insidias, nullo nominatim compellato: i. e. se cogi ad exasperandas poenas, ut majestas tuta esset. c. 70. quâ tamen in causa adeo mentem abdiderat, ut, cum censuisset Asinius Gallus, petendum à principe, ut metus suos senatui fateretur amoveriq; sineret; egrius acceperit recludi quam disimulationem diligebat. c. 71. Erat tamen, modus quidâ, fraudulentissimus nimirum, quo conabatur prodere, quos odisset; Cujus meminit Sueton. in Tiber. c. 53 nempe cum extremè aversaretur Agrippinam; neq; tamen innoxiam tollere aude- ret, subornavit, qui monerent eam, ne caperet pomum à Tibe- rio, inter coenam porrigendum: Cum igitur moniti hujus incau- ta illa & credula mulier memor, nollet gustare porrecta à Cæ- sare poma, Tiberius simulavit se veneni crimine accersitum. Pro- inde eam tandem miserrime necandam curavit, postquam pu- blice, ut volebat videri, declarasset crimen læsæ Majestatis ab ea in se fuisse commissum. Quis jam non miretur profundam illam Tiberii malitiam, nec detestetur sceleratam illam Nero- nis hypocrisin: quod seditionis alios, cædis, perfidiæ in pa- triam aliorumq; scelerum insimulaverit, quibus tamè ipse fuit maculatissimus? Nam

*Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?
 quis Cælum terris non misceat, & mare cælo,
 si fur displiceat Verri? homicida Miloni?
 Clodius accuset mæchos? Catilina Cethegos?*

Juv. Sat. 2.

§. 12.

§. 12. Honestior adhuc est species cum quis induit habitum
V. Pietatis definitur alias *rectus de DEO sensus, rectus in Deum cul-*
tus, Lips. Polit. lib. 1. c. 2. §. 1. Nomine Dei intelligitur vel verus
Deus; vel fictitii illi Gentilium, qui rursus erant vel Consen-
tes, vel selecti; vel cælo donantes, vel Heroes seu Indigetes, vel
alius deniq; generis, ut alibi ostensum. Neq; vero soli hi sunt
pietatis objectum; sed etiam parentes, liberi, cognati, patria &c.
Et quotquot aliquis vel per naturam, vel per merita & gratitu-
dinem honorare jubetur. De hac ait Cicero: *gravissimum & san-*
ctissimum illud nomen, fundamentum omnium virtutum. Pius n.
studet ad voluntatem se Dei, quæ ex legibus elucescit, compo-
nere; non autem est virtus, cujus præcepto non obligemur.
Hinc justitia illa universalis, Ethicis tantopere commendata.
Et certe nulla est gens tam barbara, quæ non aliquem saltem de
Deo ejusq; cultu sensum habeat: proinde quod quis per religionem
facere videtur, id excusatus facit, & aliorum calculum meretur.
Quare callidi isti simulatores, si quod facinus palam perpetra-
re non audent, induunt ipsi sacrum *σχῆμα*, sub quo invidiam
& injustitiam pallient. Digna sunt verba Pauli Æmilii lib. VI.
Annal Franc. quæ hic inseratur: *Nihil, inquit, in sacris bellis per-*
inde offuit atq; mos tum exortus, ut honesta præscriptione suas quis-
que respiciat res: in ore omnium sanctum piumpq; versetur: consilio,
conatu, animo, secus afficiantur. Si de religione tantum agatur, si ob-
livio noxa sanciat, si sanatis mentib; fortunis hominum abstine-
atur, omnes idem sentiant. Nunc de mort alium jure, de comitatu res
est. Exemplum hujus rei habemus in Augusto, qui cum flagra-
ret cupiditate dominandi, & invidia, ne in alienas manus impe-
rium devolveretur, simulavit vindictam paternam, eoq; nomi-
ne bellum civile accedit. Tacit. Aunal. l. c. 10. expressè: *Diceba-*
tur pietatem erga parentem, & tempora reip. obtentui sumpta; Ca-
terum cupidine dominandi concitos per largitiones veteranos &c.
Ita cum cuidam Neroni uxorem abduxisset, per ludibrium quæ-
sivit Pontifices, *an concepto nec dum edito partu rite nuberet?* l. c.
Confer polit. annotationes Excell. Bœcler. ad Tac. l. c. §. 10. Ti-
berius, etsi parum Deo tribueret, Suet. Tiber. c. 69. tamen con-
suetudini publicæ indulgit, templa erigendo, aras dedicando si-
miliaq;

miliaq; Annal. II. 49. 86. Cum defunctus esset Augustus ingen-
tem præ se ferebat luctum, cœloq; dicandum curabat, sed ut eo
facilius majestatis crimen induceret.

Vestem diducere summam

Contentus vexare oculos humore coactō!

Juven. Sat. XIII. Quod tamen videri nolebat, ubi non expedire
videbatur: vel moderationis famam captabat. Hinc cum Fala-
nius accusaretur de Crimine læsæ majestatis Augusti, scripsit
consulibus: *Non ideo patri suo decretum cœlum, ut in perniciem ci-
vium is honor verteretur.* Tac. Annal. I. c. 73. Cum Adgandestrius
Cattorum princeps sese offerret ad interficiendum Arminium,
respondit Tiberius: *Non fraude neq; occultis; sed palam & arma-
tum populum Romanum hostes suos ulcisci.* Annal. II. c. 88. Interea
vero Germanicum veneno, Filiosq; ejus fame, aliosq; alia peste
sustulit. Hi sunt illi

qui Curios simulant & Bacchanalia vivunt.

Neq; tamen & Germanicum se veneno sustulisse, vel libros ejus
enecasse videri volebat, sed culpam rejiciebat in Sejanum,
quem eo nomine è medio removit. Suet. Tiber. c. 61. Et quam-
vis Germanici ejusdem cadaver magnificè tractaret, tamen
fraus transparebat: Nam gnari erant omnes *letam Tiberio Ger-
manici mortem male dissimulari.* Annal. III. c. 2. Qui enim multum
doleret privigni mortem, qui sui ipsius filii Drusi nece parum
afficiebatur? Cum enim Ilienses condolentiam suam serius
contestarentur, vicissim ille condolentiã fingebat suam de He-
ctore eorum cive quondam occiso.

§. 13. At vero respiciendus tandem est portus, ne amplissimo hujus vitii
Oceano commissi viam deinde, unde emergamus, invenire nequeamus.
Neq; n. ullum esse tam frequens inter homines vitium existimamus, quam,
quod animi sui sensa sicco vultu, falsa lingua, fallacibus oculis, fucata fron-
te, & sinistris gestibus obnubilare soleant. *Præbuit est cor hominis & inseru-
tabile, quis cognoscat illud?* Molestū etiã est ad nefandas ejusmodi artes medi-
tationē nostrã ulterius detorquere, qui innoxium illū & simplicē candorem
malumus; Quæ divinæ nobis literæ, sana ratio, & honestorū virorū auctori-
tas commendant. Hæc est virtus illa *retinens veterem illum officii morem* non
*infuscata malevolentia, non assuecta mendaciis, non fucata, non fallax, non eru-
dita artificio simulationis vel suburbano, vel etiam urbano, quæ sunt verba Ci-
ceron.* Orat. pro Planc. t. 2. opp. §. 22. *Qua in Virtute ut Nos, O Cœlestis*

& incorrupta Veritas! conserves, devoti oramus,

TIBI SOLI GLORIA!